

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1705

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III. Wien 1802.

2019

CODICES

2020

fens nostra, cui in medio *folium* excidit, jam etiam sub *Isidori* reperta est nomine, et ab *Oudino* cum toto illo *Homiliario* vindicata *Fausto* Ep. *Regiensi*, ut alibi dixi.

IV. fol. 131. p. 2. *Ex apparitionibus corporis et sanguinis domini in ea forma, quae uere sunt.* Ineunt haec excerpta: *Nemo qui sanctorum uitas et exempla legerit, ignorare poterit &c.* Referunt autem de *Judaeo* conuerso, dum *B. Basilius* mysteria ageret. Vide *Vitas PP. Rosweydi* L. I. c. 7. p. 156. De *S. Gregorio M.* et *Matrona* incredula. Vide *Pauli Diac. Vitae* c. 23. T. IV. Opp. *Gregorii* edit. *Maur.* col. 10. et *Job. Diac.* L. II. *Vitae* c. 41. *ibid.* col. 58. De *Monacho Scitibi* referente *Tarsinio* (*Arfenio*) et *Daniele* vide *Vitas PP.* mox cit. L. V. *Libel.* 18. p. 635.

## DCCCXXII.

R. 3982 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 103. 8. non una manu, partim lineis longis, partim per duas columnas scriptus, et minio distinctus, olimque *Residentiae Soc. Jesu Millestadiensis* in *Carinthia* sequentibus constat: I. *Micrologo de Ecclesiasticis Observationibus*, quem post varias *Literatorum* hariolationes nunc satis constat esse *Ivonem Carnotensem*. Primae Codicis membranae exciderunt ita, ut nunc initium sit ab his *Cap. VIII.* verbis: *quin sacerdos in missa ordinum inferiorum officia &c.* sed et deinceps pluries mulctatus est Codex;

a *Cap.* tamen XXXI. ad finem nihil deest. Lectio porro cum Edit. *Hittorp. Colon.* 1568. f. et *Bibliotheca PP. Lugd.* T. XVIII. p. 472. bene concordat. In *Bibl. PP. Colon.* 1618. T. XI. p. 380. *Cap.* 9. prave habetur: *donec Evangelium igitur pro legitur.*

II. fol. 18. p. 2. sequitur *Bernaldi*, al. *Bertholdi*, quin *Bernhardi* Presb. *Constantien.* *Tractatus de vitanda Excommunicatorum Communione, de Rigore Canonum super damnatione sive depositione Lapsorum, item de Reconciliatione eorum sive Haereticorum.* Titulum hunc sumsi e praevia *Epistola*, quae nobis non inscribitur *Gebehardo*, uti Exemplum a doctissimo Antecessore meo *Sebast. Tengnagelio* inter *Vetera Monumenta contra Schismaticos &c.* *Ingolst.* 1612. 4. primum vulgatum praeferebat, sed *GG.* quibus literis *Seculi* illius *Scribae Gregorium* signabant. Ceterum Exemplum illud multo perfectius fuit nostro, e quo cum aliqua de medio exciderunt, tum ultra dimidium in fine deest; extrema enim sunt: *ne de lapsis sanctos patres cum nouacianis desperasse iudicamus*, quae in Edit. *Tengnagel.* leguntur p. 264. opusculo deinceps usque ad p. 287. procedente. Fortasse tamen ex iis, quae nobis supersunt, Editio illa aliquantum perfici possit. Ita sub ingressum pro *vel possessione sua vel communionem* manifeste legendum est *professionem*, et pro *juxta attestationem B. Gelasii Papae* probabilius *iuxta institutionem &c.*

III.

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1705

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III. Wien 1802.

2021

## LITURGICI.

2022

III. fol. 25. p. 2. Opusculum historico - polemicum contra *Berengarii Turonensis* Errores sacramentarios scriptum ab Anonymo a. 1088. qui ultimae ejus Abjuratiōni in Concilio Rom. sub *Gregorio VII.* a. 1079. ipsemet interfuit. Protulerat illud e Cod. *S. Augendi* seu *S. Claudii Jurensis Petr. Franc. Chiffletius* e S. J. et cum IV. aliis *Scriptoribus Vett. de Fide Catholica* in lucem emiserat *Divisione* 1656. p. 360. 4. Inde *Joh. Harduinus*, omiſſa, ut ait, disputatione mere polemica, repraesentavit in *Actis Concill. T. VI. P. I. col. 1013.* Verum jam Exemplar *Chiffletianum* ἀκεφάλον fuisse Codex noster docet. Ut enim et illi Praefationem vel Prooemium aliquod deesse dicamus, plusquam 7. paginis tamen antice amplior est Editis. His porro paginis PP. et Conciliorum autoritate vera Christi in Eucharistia praesentia stabilitur. Sunt vero testes producti: *Hilarius Pictav. L. VIII. de S. Trinitate, Ambrosius Serm. de Myſter. ad Neophytos, item L. III. et VI. de Sacram. item Epist. ad Herenn. Augustinus Hom. 2. in Pf. 33. Hom. in Pf. 45. 65. 98. Hom. in Joh. 11. 31. 40. Serm. ad Neoph. Serm. 4. de S. Trinit. et contra 5. Haeref. Synodus Ephesina, Leo Papa Serm. de Jej. sept. Mensis, Serm. de Pass. Dom. Epist. ad CPolita-*

nos, et Anatol. *Gregorius* Papa in *Moralib. in Dialog. in Hom. Pasch. Origenes Serm. de Manna, Eusebius Emis. et Isidorus*, quorum tamen Opera non citantur. Dixi, videri deesse Prooemium; nam Testes enumerati ita ex abrupto incipiunt: *Beatus Hilarius pictaviensis episcopus in VIII. libro de s. trinitate ita ratiocinatur de ueritate corporis & sanguinis christi domini. Non est inquit humano aut seculi sensu &c.* Post illos autem productos ita pergit Opusculi Autor: *Hanc fidem sancti patres nostri de ueritate corporis domini ab antiquis temporibus semper habuerunt, quam non ex se, sed ex ipsius ueritatis attestacione se concepisse professi sunt, qui & huius fidei uiolatores iudicio uniuersalis synodi sub terribili anathemate dampnauerunt. Sed tam execrabile anathema, totque auctoritates, tamque indubitabiles berengerius andegauensis diabolica presumptione contempnens heresim sui nominis condidit &c.* Frustra haec apud *Chiffletium* quaeras, qui incipit: *Berengerius Andegauensis haeresim sui nominis condidit*, et deinceps cum nostro Exemplo prosequitur: *et ueritatem dominici corporis &c.* Cetera usque ad finem sibi constant, si quasdam lectiones Codicis probabiliore excipias, quas adnecto:

Codex

Editio Chifflet.

in primo auditu defecerunt  
synodali diligentia uentilauit

in primo aditu defecerunt  
synodali iudicio uentilauit

Denis Codd. Theol. V. II. P. III.

Q

Codex

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1705

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III. Wien 1802.

2023

CODICES

2024

## Codex

## Editio Chifflet.

tandem quasi *correctus*  
et *indiviuam* trinitatem  
et *anathematismi* sancta  
expurgari decreuit  
*prestito* proprie manus sacramento  
eam *partem* detestatur  
inquam et *Christianus*

tandem quasi *correptus*  
et *omouision* trinitatem  
et *anathematis* ita sancta  
expurgari *debere* decrevit.  
propriae manus sacramento  
eam detestatur  
inquam et *Christinus*

Haec Libelli integri editionem suscepuro; nam PP. Loca a Chiffletio praetermissa priorem ejus partem constituere, cum e dictis liquet, tum ex ipsis Autoris verbus finem verbis, quae recito: *Et nos quoque huiusmodi simplicibus in hac scedula satisfacere proposuimus: videlicet testimonia sanctorum Patrum de veritate Corporis dominici simpliciter proponentes, et synodales Beringerianae haereseos damnationes fideliter subnectentes.* En utramque Partem.

IV. fol. 32. spatio relicto ad sequentia inferenda usa est non una Manus. 1) *Decretum pape paschalis II. actum Warstallis.* Lege Gu pro W. ut solet, *Guarstallis* et omisso r *Guaftallis*, quo loco dictus Pontifex a. 1106. Concilium celebravit, ut habes T. XII. *Concill. Labb. edit. Venet. col. 1127.* ubi quidem Decretum nostro simile comparet; juvat tamen

et nostri tenorem hic vulgare. *Quoniam Ecclesia in multis locis et maxime in teutonicis partibus diu laboravit sub heresi et scismate, et si omnia illa, quae ab illis hereticis et scismatibus (Schismaticis) ordinata sunt, annullari deberent, quaedam ecclesie omnino nudari uiderentur suis clericis, nos sequentes decreta sanctorum patrum de his, quae (qui) sub accio (Aetio) et bonosio, et donatistis ordinati sunt, statuentes decernimus, ut episcopi, qui sub ipso scismate ordinati sunt, omnes in suis honoribus permaneant, nisi sint inuasores, aut criminosi. De ceteris vero ordinibus penes episcopos potestas sit, ut, quorum uita probabilis uideatur, in suo gradu consistant.* 2) Cantilena theotisca, cujus argumentum: Baptisum a Christo in Jordane susceptum figuram fuisse ablutionis nostrae in sanguine ejus.

*Der heligo christ war geboren ce bethlehem,*

*Dannen quam er widere ce ierusalem.*

*Da ward er getoufet uone iohanne*

*In demo iordane.*

*Duo uerstuont der iordanis fluz unt der (unser?) sin runst.*

*Also uerstant du bluot rinna*

*Durch des heiligen christes minna*

Du

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1705

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III. Wien 1802.

2025

## LITURGICI.

2026

*Du uerstant an der note,  
Also der iorden tate,  
Duo der guote sanfte iohannes den heiligen christ tuofsta,  
Verstant du bluot rinna  
Durch des beliges cristes minna.*

*Duo da, Versteben pro Significare; Du die vel das, Runst a Rinnen* Cursus, Fluxus, cetera fat liquida. 3) Remedia tria: primum Paronychia consistens in superstitiosis preculis, alterum oculi obduci pellicula, que dicitur de-tonice *Vel*, (Fell), tertium aurium. 4) Methodi duae inveniendi Ferias kalendarum et Ferias infra mensem.

V. fol. 33. Opusculum ἀθεοπο-  
τον imperfectum, quod incipit:  
*Agitate quam plurimum apud me  
questionis difficultatem, quam per  
meditandi assiduitatem non modi-  
cam longo tandem parturio conatu,  
rationis vestre pater semper uene-  
rante excellentie eo confidentius  
deuoui examinandam, quia nature  
predita beneficio, et fidei superem-  
inentia illustris in uobis karitas  
celeberrime commendatur. Ad E-  
piscopum scribi vides. Quae vero  
illa Quaestio? utrum humanitas sit  
in christo post resurrectionem diui-  
nitati equalis, nec ne. Motores  
Quaestionis hinc Athanasius: Mi-  
nor Patre secundum humanitatem,  
illinc Hilarius: Glorificaturus Fi-  
lium Pater major est, glorificatus  
in Patre Filius minor non est. De  
quibus sic Noster: Ecce duo pa-  
tres orthodoxi quasi duo cherubim  
uultibus contra se inuicem uersis  
uidentur aduersi, cum sint solum-  
modo diuersi contuendo unum pro-*

*piciatorium, per quod eorum di-  
uersitas conducitur in unum; id  
quod hac distinctione confectum  
it: Filium etiam hodie dici posse  
minorem secundum nature huma-  
ne proprietatem et conditionem,  
non secundum eiusdem humane na-  
ture prouectum et glorificationem.  
Parum sane haererem hanc subti-  
lissimi Argumenti tractationem ad  
Gerhobum Praepositum Canon.  
Reg. Reichersbergensem 1169.  
defunctum referre, cuius multas  
de illo Lucubrationes, in quibus  
tamen nostra non est, habes T. I.  
Thes. Anecd. Pezii P. II. a col.  
165. et VI. col. 444. sed retinent  
verba, quae mox sub ingressum  
lego: Cum enim et ex scolastice  
regula traditionis, et ex uniuersa-  
li gallicane ecclesie susceperim usu  
&c. Quid Bawaro Pollingano cum  
Gallicana Ecclesia, quem nunquam  
in Gallia literis operam dedisse  
accepi. Quare, cum ex ipsis Ger-  
hobi Scriptis II. citt. liqueat, ean-  
dem Quaestionem ab Hugone Vi-  
gorino et Gilberto Porretano in  
Gallia agitatam fuisse, credibile  
est, illuc pertinere Tractatum no-  
strum. Et fortasse certum quid sta-  
tui posset, si foret integer; sed  
post pagg. 20. abruptitur in his  
verbis: illa uidelicet dicende equa-  
litas inducta ratione, qua — —.*

VI. fol. 43. absquæ Titulo et  
Autoris nomine Sententiae Theo-  
logi-

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1705

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III. Wien 1802.

2027

CODICES

2028

logicae iis fimiles, quas titulo *Sententiae Divinitatis* inter *Dogmaticos* hoc *Vol.* recensui. Ineunt vero: *Principium et causa omnium deus. ante omnia eternaliter. in omnibus inuariabiliter. & post omnia est interminabiliter. Vita uiuens in se antequam essent tempora &c.* Sequentes Rubricae sunt: *De creatione mundi. De creatione angelorum. De libero arbitrio. De prelatione luciferi. De lapsu angelorum &c.* Rubricis non ubique expressis, neque seruatō stricto Dogmatinarum nexu definitur in quaedam de Peccato originali Quaesita, quibus adiectus est Locus de *VII. Donis Spiritus sancti* et de *Visione Dei*. Inceperat Librarius et Epistolam quandam subijcere inscriptam *Venerabili abbati de sancto laurentio ab A. sanctae laudunensis ecclesiae filio*, et ineuntem: *Videndum est domine, ne illa quaestio, que apud uos sic agitur, non in sententia sed in pugnis uerborum sit &c.* Erat uero quaestio de conciliandis his Effatis: *Nou uult deus malum, et: Vult deus omnia, quae fiunt:* sed haec e Codice excidit.

*VII. fol. 67. De laudibus ecclesiae.* Ita Series Sermonum inscribitur, ad quos breue Prooemium ita introducit: *Cum sint multa et pene innumerabilia in diuinis uoluminibus, que sponsam christi sanctam ecclesiam significant, quaedam tamen sunt, in quibus eius laudes et maiora sacramenta manifestius et plenius contineri uidentur.* Tum innuit Paradisum, Arcam Noe, Templum Salomonis,

Mulierem Apocalypticam, Civitatem *Ierusalem &c.* Sermo I. Incipit: *Scriptit moyses in libro geneleos quod plantauerat dominus deus paradisum &c.* Ignoro Autorem, et Librario subirascor tam parum de eorum Nominibus sollicito, quorum Opuscula hoc Codice compegit.

*VIII. fol. 96. Alexandri regis magni macedonum et dindimi bragmanorum regis per literas pulcherrima collatio incipit.* Dixi de his alibi, ut Index docet. Ab *Alcuino Carolo M.* oblatae extant in eius Edit. *Ratisb.* T. II. p. 600. et quidem exactae ad praesentem Codicem, quem cum *Frobenio* editore communicauerat Vir in excutienda docta Antiquitate incredibilis solertiae et mihi, dum viveret, amicissimus *Matthias Rieberer Styrys* e Soc. Jesu.

## DCCCXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 679 XII. Folior. 71. 4. minutius, sed bene exaratus et rubricis distinctus *Honorii Augustodun.* *Gemma Animae* est, Compilatio liturgica jam *Vol. I. P. 2. col. 1261.* et *P. 3. col. 2858.* a me relata, hic absque divisione in IV. Libros et Capita decurrens, praeunte *Epistola Fratrum ad Honorium*, ejus Responso et Prologo, ut *T. XX. Bibl. PP. Lugd.* p. 1046. Juvat porro cum hac Editione Codicem nostrum metiri. *L. I. c. 8.* sistit in his uerbis *Codex fol. 10. iudicis ira placetur.* Progrediuntur Edita usque ad Libri finem Capitibus

243.